UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1603

Vita S. Bercharii Abbatis & Martyris: Ex Vincentij Speculo Historiali. Libr. 24. cap. 114. & 115. Claruit anno Domini 660.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42787

Visual Library

Obitus S. Lulli & corporis incorruptio.

tum, eximijs miraculis clarum, cum poſt ſexageſimum annum è terra leuaretur, eo membrorum omnium decore ac veſtium quoque nitore inuentum eſt, vt illo ipſo die expiraſſe, ac ſopore potius, quàm morte ſepultus videretur.

Teste C. Baron. in Not. ad Martyr. Rom.

VITA S. BERCHARII ABBATIS & Martyris: Ex Vincentij Speculo Hiſtoriali. Libr. 24. cap. 114. & 115. Claruit anno Domini 660.

16. Octob.

SANCTVS Bercharius, ſub ſancto Niuardo Rhemorum pontifice, moribus & ſapientia imbutus, Luxouienſe monaſterium expetijt: vbi ſub Abbate ſancto Euſtachio monaſticam vitam duxit. Cùm aũt in cura promptuarij, rectoris nutu eſſet implicitus, quadam die ſubitò iuſſu eius eſt vocatus. Fortè ille túc, è vaſe, epiſtomium manu tenens, cerealem potum promebat. Mirum dictu: ad vnius iuſſionis nutum relictis, quæ habebat, in manibus, cucurrit concitus, ardore obedientiæ, amphoræ cuſtodiendæ oblitus. Illoque ante Abbatem ſtante, interim potus in vaſculum ſuppoſitum defluere non ceſſans, poſtquàm ad ſuperficiem vaſis peruenit, in modum columnæ supernè conſtipatum, in gyrum coronari cœpit. vltrò cerneres illud liquamen, quod vix clauſum valet contineri, in ſublime tolli: vt liquidò pateſceret, quanta eſſet virtus obedientiæ, cuius fructus nullo modo poſſit in terra deperire. At ille, quod acciderat, non ſuo, ſed Abbatis merito deputauit.

Viuit in monaſterio Luxouienſi. S. Euſtachij vita habetur 29 Martij.

Egregia Bercharij obedientia magno miraculo illuſtratur.

Iam verò regularibus diſciplinis inſtitutus & eruditus, ad ſanctum Niuardum reuertitur. Qui cùm in quodam prædio ſuo cœnobium ædificare vellet, cum Berchario vicum quẽdam Spernacum, quem beatus Remigius eccleſiæ Rhemenſi precio acquiſierat expetens, in ipſo proceſſu itineris graui ſopore deprimitur, ita vt eundi facultate remota, equitum ſuorum comitatum ſtare præciperet. Itaque Niuardus paululùm quieturus ſub fago frondoſa in Bercharij decumbentis gremium, vertice compoſito, ſe repoſuit. Interim eo quieſcente, ſubitò niuea è ſublimibus viſa eſt deſcendere columba: quæ primùm arbori reſidens, indè rurſus auolans, locum quo cœnobium cõſtrui debeat, gyro deſignauit, ac præſentia ſanctificauit. Ea tam præſenti viſione ac miraculo Niuardus ad opus maturiùs aggrediẽdum excitatus, ſtatuit totum Bercharij induſtriæ committere: qui in ipſo loco, qui Altiuillare dicitur, cœnobij fundamenta iecit, nec priùs ab opere deſtitit, quã cœptum ad laudem Dei compleret. Congregauitque illic viros monaſticæ diſciplinæ apprimè amantes, & cunctis virtutibus egregiè ornatos.

Reuertitur ex monaſterio ad S. Niuardũ Rhemorum epiſcopum.

B. Remigij vita habetur 1. Octob.

Viſio Bercharij vigilantis.

Altiuillarẽſe monaſterium conditur.

Inter cæteros autem vnus fuit Dagouinus nomine, quem vir ſanctus de ſacro fonte ſuſceperat & ad monaſticæ vitæ inſtitutum per incremẽta virtutum euexerat. Accidit autem vt is culpæ cuidam obnoxius, duriùs, vt par erat & iuſtitiæ ratio exigebat, à viro ſancto increparetur. Quod ille homo nequã adeò grauatè tulit, vt Satanæ ſuggeſtione ſtimulatus, ſanctiſſimo patri necem inferre cogitaret. Itaque

nocte quadam in Abbatem ſopore oppreſſum ferro armatus irruit, ac lethale vulnus furibũdus inflixit. Deindè arreptum ferrum, quo facinus nefandum occultaret, in laticem monaſterij feſtinè demerſit. At latex velut tanti ſceleris conſcius, ferrum illud in ſe recipere detrectauit. Nam mox, vt aquam attigit, inſtar plumæ leuiſſimæ, ſuper vndas natauit. Nefarius verò homicida amens factus eccleſiam petijt, cruentisque manibus ſignum pulſare cœpit. Fratres non conſueta hora cum admiratione ſurgentes, intellecta nece viri ſancti, ad lectum eius concurrentes adhuc ſpirantem inuenerunt. Compræhenſum igitur Dagoninum ei obtulerunt, vt quid de tanto ſcelere pronunciaret, cognoſcerent. At ille Domini non immemor: Deum, inquit, tibi frater pœnitentia placatum redde: nam me quod attinet omni te liberum impietate dimitto. Ex eius ſepulchro longè poſt oleum viſum eſt ſcaturire: cunctis morbo correptis ſalubre.

Occiditur à ſuo monacho.

Ingens miraculum.

En eximiam viri manſuetudinem.

Sepulchrum eius miraculis celebre.

MARTYRIVM S. ANDREAE CRE*tenſis Monachi: Ex eo quod eſt apud Metaphraſten. Coronatus eſt anno Dominici Natalis 761. Pauli Papæ 5. Conſtantini Copronymi Imperatoris 21. Alius hic eſt ab eo, qui celebris eſt inter Græcos ſcriptores eccleſiaſticos, cuius celebritas agitur in Menologio IV. Nonas Iulij.*

Vide Tom. 9. Annal. & Notat. ad Martyr. Rom.

17. Octob.

BEATVS Andreas ab ipſis incunabulis ad omnem ſanctitatem, aſpero & rigido vitæ inſtituto, atq; cæleſtibus diſciplinis egre-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN